

ipsum visum est mihi, » respondit Præpositus : « Unum tamen deformat eam, quod monocula est. » Respondit juvenis : « Vere Domine utrumque oculum habet, » ego enim satis diligenter consideravi eam. » Tunc motus Præpositus ait : « Et ego considerabo dorsum tuum, tanta debueras esse simplicitatis, ut utrum esset mas, vel femina, scire non posses. » Reversus vero ad Monasterium dixit Senioribus : « Vos, Domini, quandoque arguitis me, quod non educam mecum juniores; » et exponens eis causam, prædictum juvenem durius arguit atque castigavit. *CÆSAR*, l. IV, c. LXII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius P. Olivero Manaræo, qui ipsi valdeiciens, oculos fixe in illum, utpote nunquam forte amplius visurus direxerat, per P. Polancum præcepit, ut quotidie de hoc defectu se examinaret, et quoties ad se ut Rector officii causa scriberet, adderet, nunq penitentiam hanc persolvisset. *LANCZ*, *Ob.* 2, n. 304.

S. Franciscus Xaverius sublimissimos, et quantum potuit, in cælum fixos ferebat oculos, ea totius oris suavissimi hilaritate, ut illius aspectus animos intentum serenaret : viros enim Xaverianæ virtutis, quibus longo ac prompto servitio oculi dudum sunt edomiti, eos in cælum figere fas est. Sive humum, sive sidera intueantur, innocenter agunt, periculum adeunt, et creant, cum media evolant via. Humos propriæ admonet imbecillitatis ac sordium; sidera recuperandæ patriæ spem admonent, ac supra plagas, quibus capiuntur, felicitas attollunt, verum minus experti, tutius terræ affigunt, ne capiantur, dum volant. *RÆO*, l. VII, c. IV n. 2, *ex Nostris*.

De Francisco Borgia in ejus vita legitur : Medio in acupio, quod unicum ei adhuc Duci erat curarum diverticulum, sentire videbatur, qui enim Hierofalcos, ejus venationis totius scientissimus, educaret diligenter, ac peritissime uteretur, non modo pulcherrimis inde documentis, facili ad mores traiectione, animum informabat assidue, verum dum maxime ferveret ea voluptas, oculis severissime imperabat. Illud in omni Hierofalcorum venatione longe accidere solet jucundissimum, cum multis gyris sub-

jectus, supremoque volatu in nubes propemodum elatus prædo, ibi jam est, ut in inferius volantem, et nequequam defensionis se componentem ardeam fulminis instar invadat, dejectamque conficiat. Id, cum fieret, atque sublimes oculi alium volatum ac pugnam sequerentur, Franciscus eos deiciens, innocenti voluptate privare consueverat, ut per eam exercitationem serio discerent avertere se illico ad nutum, ubi vel levis esset noxæ suspicio, ne illic voluptate animi arcem desertis ultro præsidii prode- rent adversariis. *Im.*, l. c.

De B. Aloysio sic idem scribit : Itum est aliquando a sociis alios in hortos, quam consueverant, aderatque Aloysius, verum animo adeo incurioso, oculisque adeo in humum dejectis, ut cum sub vesperam domi audisset aliquos utriusque villæ opportunitates invicem conferre, miratus, quam dicerent villam, serio interrogaverit, an alio præter morem itum esset, nimirum oculos cælo et sideribus integros servabat. Alias adolescentem Aloysium jusserat Ferdinandus parens adesse, cum Cataphractorum turmas, quas ipse ducebat, Mediolani amplissimo ante arcem in campo lustretur : res erat spectaculi longe jucundissimi, et fama vicinis ex urbibus spectatum evocaverat promiscuæ turbæ multitudinem infinitam, quæ spectaculum, dum quaerit, auget. Equi generosissimi, arma auro illita, chlamydes versicolores sagula auro ubique, aut etiam gemmis fulgentia, prompta nec ulli periculo obnoxiam oculis ostentabant voluptatem; illos tamen habuit in postestate Aloysius, oclusisque palpebris illius pompæ nihil per oculos passus inferri, animum nulla rerum operatum varietate, atque inconcussum cælestibus felicitis intulit. Idem confirmat, quod alibi in vita ejus legitur. B. Aloysius tam severe oculos custodiebat, ut plurimas feminas etiam consanguinitate artissimæ conjunctas nunquam aspexerit. Oculis humi defixis per publicum incedebat, et ab iis, quæ maxime oculos ad se allicunt, studiose illos continebat. *Im.*, n. 4.

P. Joannes Fuldensis tam diligens fuit sensuum suorum, atque oculorum in primis custos, ut totis viginti septem annis, quibus Treviris habitavit, nunquam de Odeæ in templum inferne despexerit. *Bibl. Soc.*, 310.

P. Pater Faber hanc oculis suis legem indixit, ut non tantum ab ætate grandiore,

verum etiam a pusionibus ac puellulis aspectum omnem, tametsi mens spectandi esset optima, cohiberet, gnarus nempe illius præcepti, sententiaque Gregorii, unum illum in turpes pravæque actiones non labi, qui sibi et in reclus, honestisque didicerit temperare. *LANCZ*, op. II, n. 299.

P. Thomas Sanchez defixis semper humi oculis incessit, aut sedit in mensa, ita ut nec assidentem, nec ministrantem cognosceret. Ductus semel a PP. Dominicanis per monasterium laudabat quidem omnia, ne adverterent, oculos tamen semper clausos habebat. *Annal.* 1610 et *LANCZ*, l. c., n. 315.

P. Balthassar Alvarez Romam profectus, dum alii ad res curiosas videndas excurrerant, ipse interea ad SS. corpora in oratione manebat. Cum esset Rector Martinensis Collegii, tota Processionis die corporis Christi instillatæ tempore oculos ita SS. Sacramento affixos habuit, ut nunquam eos ad spectacula averterit. Vallisoleti cum publico inquisitionis actu interesset, septem horis oculi in imaginem B. V. quam secum tulerat, defixos hærebat tantum ne cogeretur mulieres aspiciere, sine quorum aspectu non poterat in theatrum oculos figere. *Vita*, c. LXI.

P. Jacobus Rhem maximus erat oculorum custos : hinc paucissimos noscebat. Scenicas actiones nunquam, nisi cum aut de morte judicio, cælove essent habitæ, spectabat. *Annua* 1648, col. *Ingolst.*

Ludovicus de Ponte, nec infirmus, nec sanus, aspectu camporum se recreabat. *Vit.*, l. II, c. VI.

P. Antonius Pinas per quemdam a Germano fratre salutatus respondit : Ejus ego epistolam ab hinc tres annos accepi, quam etiam nunc observatam assero, et eo pro atramentarii operculo commode ulor. *LANCZ*, op. II, n. 321.

Joannes Berchman nunquam oculos a terra attollebat nisi ratione aut necessitate cogeretur. Nunquam nisi ad internoscendum aspiciat eos, quibuscum loquebatur. Ad nullum strepitum movebat oculos, quos tam depressos habebat semper, ut a nullo dignosci possent, cujus coloris essent. Scripsit : « Mulierum aspectum instar Basilisci vitandum. » Et alibi : « Quid vis videre, quod non licet habere ? » a multis tentationibus liberat custodia oculorum, quæ est mater devotionis. Rogatus, quomodo animum perpetuo ad se revocaret, respondit : « Fida oculorum custodia, sine qua cor cus-

todiri nequit. » Nova nunquam vidit. Coactus aliquando interesse Dramati, nunquam oculos sustulit, ita ut nobilis quispiam id advertens focio in aurem diceret : Profecto hic Pater sanctus est. Nunquam adduci potuit, ut hortos, vineas, solennes equitationes Romæ aspiceret. *Vit.*, p. II, f. 74 et 77.

Alphonsus Rodriguez per annos quadraginta septem, quos in Religione traduxit, nunquam petiit licentiam pro sua recreatione ad campos eundi, vel hortos, Nullam mulierem, etsi per quadraginta annos januam curaverat, de facie cognoscebat. *Vit.*, c. I, l. II, c. VI.

Novitius quidem Neapoli moriens fassus est se ob oculos a jucundo maris vicini aspectu custoditos hoc habere præmii, ut in morte Angelorum fuerit aspectu recreatus. *NADASI*, in *Ann. Angel. hebda.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Magnus de muliere quadam admodum formosa capta monitus, suis licet suadentibus noluit videre, sed sponso restitui jussit. Sed et de Darii uxore ad Parmenionem scripsit : Ego non solum non vidisse inveniar uxorem Darii, aut videre cogitasse sed nec verba facientes de ejus forma audire sustinuisse. *LANCZ*, op. II, f. 289.

Scipio Africanus expugnata Carthagine cum audisset multas formosas mulieres ibidem reperiri, nullam ad suum conspectum duci permisit, ne, ut Florus loquitur, quid de virginitatis flore delibasse, saltem oculis videretur. *Im.*

Rex Antiochus conspecta Ephesi in sua urbe Diane Sacerdote valde formosa, continuo illinc solvit, ne aspectu paulatim audacior eo impelleretur, unde captus non rediret. *Im.*

Pericles Prætor Atheniensium Collegam suum Sophoclem corripuit, quod prætereuntem puerum formosum intuitus esset, et formam ejus laudasset, decere quippe, præter non solas manus, sed oculos etiam continentes habere. *Im.*

Apulejus, et Hermes Platonis Discipuli oculos sibi eruisse dicuntur, ne illorum usu a studio virtutis avocarentur. *BEALINCK*, in *festo S. Martini*, them. 3.

Isæus Assyrius Sophista dum a quodam, qui decentis formæ mulierem ei exhibebat.

interrogaretur, non formosa esset, respondit: « Desii laborare ab oculis. » *Ibid.*

Cajus Sulpitius Gallus uxorem suam repudiavit, quod aperto capite foras exisset, inquam: « Tibi meos unius præfinit oculos lex nostra, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: aliis velle videri formosam, in suspicione et crimine hæreat, necesse est. » *ERASMUS, l. Apoph.*

Panthea Astradati Scytharum Regis conjux raræque pulchritudinis mulier, cum a Cyro Rege captiva teneretur, ab eodem Cyro oculis nunquam conspicua fuit; dicebat enim: « Forsitan pulchritudinem ejus videndi desiderium mihi quoque labem aliquando inuret. » Quam continentiam Antiochus Abbas ponderans, in hæc verba nobis imperat: Quod si talia sua asseverant testimonio a fide extoci, et a salutari unctione alieni, quid non conveniat præ illis tanta efficere, qui Christi ex professo discipuli sumus? *MANSI, d. VIII, n. 7.*

Xenophon de Lycurgo Republicæ Lacedæmoniorum legislatore, sequens perhibet testimonium: Cum animis adolescentum pudorem inserere cuperet, instituit, ut in via manum utramque intra vestem continerent incederet facite, nunquam circumspicerent ea tantum infunderentur, quæ ante pedes essent. *Liv., l. IX, c. vi.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut venatores non sinunt canes suos quidvis olfacere vel mordere, sed integros feræ servant; ita oportet oculos et aures non sinere quocumque ad libitum vagari, sed rebus necessariis serbare. *PLUTARC., in Moral.*

Sicut natura principatum in corpore dedit capiti, ideoque ei summum locum tribuit, ita inter ceteros sensus imperium penes oculos esse voluit, et propterea in præcipuo loco constituit. *PHI. JUN.*

Sicut impossibile est, ut quis nudis pedibus super ardentibus carbonibus ambulans non lædatur; ita quoque impossibile est, ut quis amore impuro non accendatur, qui oculos suos a mulierum aspectu non avertit. Unde S. Bonaventura in prædicta vita ita scribit: Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam

difficile dicit (scilicet S. Franciscus) quam juxta scriptum c. vi, Prov., « in igne ambulare, et non comburere plantas. » Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Hugo Cardinalis jam adductum ex Proverbiis textum: « Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem hunc, inquam, textum in sensu morali ita exponit: Ignem in sinu abscondit, qui mulieri libenter loquitur: super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit, ad has prunas multi se calefaciunt cum Petro Christum negantes. Quis nunquam dicturus esset, quod oculus etiam ab ipsis mentis nivibus ad instar sulphuris excitatus esset impuri incendium amoris? et tamen revera ita est, nam a candore, et a nivibus venusti vultus flamma accenditur concupiscentiæ carnalis. » *S. FRANC., in Vit., c. III.*

Sicut homo in tenebris sequitur lucernam præsentem, quocumque illa ducit; sic cor sequitur oculum et visum. Hinc oculus, quia celer, subtilis, et versabilis est, quocumque se vertit, et versat, eodem trahit et cor. Vice versa cor per oculum suos affectus pandit, et enunciat, atque per oculum velut nuncium, alios ad se allicit, et invitat. *MANSI, d. XIII, n. 2.*

Sicut visus, inter alios sensus prior est in situ, et in ordine in capite, ita in animæ documento obtinet principatum. *IB., dis. XIX, n. 6.*

NECESSITAS. — Sicut, qui morbum devitare cupit, morbi causam, quam potest studiosissime declinat; sic, qui cogitationem ab amoris turpitudine puram conservare voluerit, incumbit diligenter, ne per oculos ad cogitationem, et animam, foeminarum imagines admittat. *SANCTIUS, in c. XXXI, Job.*

Sicut basiliscus unico sæpe aspectu perimit corpus; ita unicus sæpe oculi jactus sagittam plane exitalem emittit. *S. BAS., in c. II, Isa.*

Sicut ignis, ubi fœnum contigit, statim accendit flammam; ita ignis concupiscentiæ simul atque per oculum attigerit formam, protinus exurit animum. *S. CHRYS., hom. III, de Verb. Isa.*

Sicut cerva confixa jaculo in vitali corporis parte, etsi venatorum effugiat manus

tamen exitio proxima est; ita animus, ubi per aspectum jaculo concupiscentiæ vulneratus est, etsi alire sinatur, tamen periculum mortis spiritualis difficulter evadet. *IB., hom. c. v.*

Sicut pestis tempore portas civitatis, et domum diligenter custodire necesse est; ita cum oculi sint cordis janua, merito singularem in iis diligenter suo tempore claudendis curam habere convenit. *LANCIZ., op. II, n. 312.*

Sicut si fenestræ domus effractæ nec pluvias, nec nives arceant, putredini ac ruina domum exponunt; ita si oculi ad omnem curiositatem pateant, mens sordibus impletur, et cogitationum pessimiarum fit desidiabulum. *DREX., in Noëmo, c. II, § 2.*

ÆQUITAS. — Sicut insanus esset, qui oculos eruedos præberet, ea tamen lege, ut gladiolo aureo eruantur; sic insipientes quoque merito censendus est, qui virginea forma tanquam gladiolo aureo oculos perdere gessit. *DREX., in Nicet., l. I, c. VII, § 1.*

Sicut ille paterfamilias, qui servum in domo rebellem haberet, et ad scelus cum sua sponsa committendum allicientem, utique severissime eum coerceret, et carcere concluderet; ita id ipsum oculis nostris facere debemus, cum omnes sensus nostros ab illis ad concupiscentiam inordinatam creaturam inflammari advertamus. *ANONYM.*

Sicut ille homo stultus judicaretur, qui peregrinum aliquem in domum admitteret, quem sciret pacem domesticam perturbaturum, et ipsum dominum sauciaturum; ita insipientes merito videri debet, qui per oculos nescio quæ curiosa objecta in animum admittit, sciat inde pacem animæ turbandam, mentemque graviter sauciendam. *IBID.*

Sicut il, qui male affectos habent oculos, linteamen aliquod obtundunt, ne lucis splendor illis officiat; ita qui oculos suos aspectu aliorum læsos sentiunt, palpebras oculorum obtendere debent, ne splendor et pulchritudo creaturarum illis damnum creet.

Sicut is, qui sciret, se ob alienjus rei aspectum in febrim aut alium morbum gravem lapsurum, diligenter et facile a tali re videnda abstinere; ita et a rerum creaturarum illicito aspectu cavendum, utpote ex quo in febrim concupiscentiæ incidimus, et difficultatem aspirandi ad cælestia sentimus.

UTILITAS. — Sicut enim gladium a puero teneri videmus, etiamsi nondum vulneratus

sit, tamen ne vulneretur, verberamus, minasque, si sæpius non contingat, intentamus; ita Deus sæpe inverecondum coercet aspectum, ne quandoque in ipsam incidat actionem. *S. CHRYS., h. 17, in Matt.*

Sicut ei, qui carbonem vivos apprehendit, hi parum nocebunt, si cito abjiciat illos, secus vero, si diutius refinere illos voluerit; ita oculorum jactus parum nocebit, si mox, ubi res aliqua illicita aut perniciosa fuerit conspecta, avertantur; secus si fixe defigantur. *S. AUGUST. I. de Hon. mulier.*

Sicut quando leoni hominem aggredienti velum aliquod, vel aliud guppium super oculos projicitur, unde visus obfuscutur, omnem protinus amittit ferociam et vigorem; ita quoque in præsentem asserere possumus, quod, dum nos per oculorum custodiam communimus et defendimus, omnes vires dæmonis protinus debilitantur; et contra vero si oculus noster lubricus et vagus fuerit, pessima contra nos molitur, et in perniciem nostram nobis prævalet. *MANN., disc. XXV, n. 2.*

Sicut granum tritici intra terram absconditur, sed extra terram, et in acre supprastante fructum emittit: ita incantus aspectus in oculo quidem efficitur, sed in superiori animæ vi, nempe in cogitatione phantasmata castitati adversantia fructificat. *JAC. ALV., l. II, p. II.*

MOTIVA.

« Voluntas Christi, » qui ut olim S. Birgitta, ita nunc omnibus dicit: Quia oculi mei erant sanguinolenti et pleni lacrymis, ideo oculi tui debent abstinere ab omni delectabili visu. *L. I, Rev., c. XI.*

« Quia Deus habitat in corde nostro: » si ergo olim exigebat, ut nihil appareat feditatis in castris, qui ambulabat in medio eorum; quidni magis exigere id credat in animo, ubi libentius habitat, quam in castris? *DEUT., c. XXIII, n. 13.*

« Quia Deus os homini sublime dedit, oculum intueri jussit, et erectos ad sidera tollere vultus: » ergo non deest oculos contaminare rerum terrestrium non necessariarum intuitu, ne Deus repetat exprobrationem S. Catharinæ olim his verbis factam: O misera, contemnis, quod gratiose exhibui tibi, scilicet, ut pro gloria mea aspicires cœlum, et alia pulcherrima, quæ videre potes

in creaturis meis; et ut aspicias alia ministeria mea, et ne lutum atque miseriam aspiciendo, mortem adipiscaris. *DIAL.*, c. cxliv.

« Quia cum vagi oculi sint merum virtutis periculum, » teste Celada, virginitatis fascinum, libidinis minæ, venenum castitatis, voluptatis illecebræ, gehennæ scintilla, pietatis funus, et sepulcrum castitatis; merito ob tantum periculum evagari non sinuntur, ne cum S. Augustino sero queramur dicentes. Per tales imagines iræ solebant oculi mei, per tales imagines iræ et cor meum. In c. ix *JEREM.* § 26, n. 111.

« Quia oculorum custodia est mater devotionis; » ut recte dicebat Joannes Berchmannus, et vero ipsa etiam experientia confirmat, quia experimur, quanto magis exterior oculis clauditur, tanto magis interiori aperiri. *S. AUG.* l. vi *Confess.*

« Quia ipsi ethnici, » ut Socrates et alii, teste Xenophonte, « pulchrorum obtutus penitus vitare jubebant: » si ergo a fide exotici (ut Antiochus Abbas loquitur) et a salutari invectione alieni talia suadent, quid nos convenit facere, qui Christi ex professo discipuli sumus? *LANCZ.*, op. ii, n. 292.

« Quia ipsa natura, tamquam sollicita mater, tot operaimenta posuit; » dicunt enim Philosophi, quod natura virtutem visivam operuit septem tunicis, quarum altera deficiente læditur, et maxime passibilis fit ab intrinseco tangente. *BELLOVAC.*, *spec.*, p. I, disc. v, l. III.

« Quia falsa et deceptoria sunt objecta, quæ oculis jucunda apparent: » ut sapienter S. Ambrosius advertit dicens: Si volumus post mortem corporis hujus in bonis esse, caveamus, ne agglutinetur anima nostra huic corpori; ne commisceatur, ne inhaereat, ne trahatur a corpore, et tamquam ebria perturbationibus ejus vacillet, et fluitet, nec se ei credat atque ejus delectationibus, ut committat se ejus sensibus. Nam et oculus ejus error et frans est; quia fallitur visus, et auris ejus deceptio est, quia et auditus illuditor, et sapor ejus deceptio est. Denique non otiose dictum est: Oculi tui recta videant, quod non esset dictum, nisi frequenter errarent. Vidisti meretricem, captus es vultu ejus, et formam decoram putasti. Erraverunt oculi tui, perversa viderunt, alia nunciaverunt. Nam si vera vidissent, vidissent deformem meretricis affectum, inherentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines,

terre colluvionem, animæ vulnera, conscientie cicatrices; qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam. Vides, quod iste falsum quæsit, qui non veritatem, sed adulterium requisivit, qui non veritatem, sed adulterium requisivit; videre enim quæsit, ut concupisceret, non ut verum cognosceret. Errat igitur oculus, ubi errat affectus, affectus ergo deceptio, est deceptio visus. *S. AMBR.*, l. *de Bono mor.*, c. ix.

« Quia specialiter conducit ad quietem animi: » uti vel ipse Ethnicus Seneca agnovit dicens: Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravat, et oculos, et aures ab his, quæ reliquit, avertat; nihil enim facilius, quam amor recedat. *Ap MANSI*, *disc. xii*, n. 4.

MEDIA.

« Dei et celestium rerum pulchritudinem sæpius considerare: » sic enim exclamabimus cum S. Ignatio: O quam sordet mihi terra, cum caelum intueor! Ita sane ipse etiam Ethnicus Seneca faciebat, dum exclamavit: Quam juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram!

« Christi erga nos amorem ponderare; » si enim uxor Tygranis Regis fassa est, se ab eo tempore, quo audivit maritum pro ipsa redimenda a captivitate vitam obtulisse, in nullum alium quam ipsum oculos conjecisse; quid Christianum facere conveniet, si meminerit, Christum tam pretiosam vitam non obtulisse tantum pro illo, sed etiam reipsa per mortem tam crudelem et ignominiosam perdidisse?

« Omnia, cum S. Paulo, ut stercorea arbitrari: » sic enim ultra ab iis oculis avertimus, nec nisi necessitate coacti, illos ad res creatas convertimus.

« Gaudium ex visione beatificæ æternæ duratura, animo frequenter objicere, » sic enim facile claudemus oculos cum S. Silvano, et dicemus: Claudamini, oculi mei, claudamini, et ad futura vos gaudia reservate.

« Curiositatem interiorum compescere: » per hanc enim oculi incitantur ad res terrenas curiosius contemplandas.

« Oculorum suorum infirmitatem, et damna sæpius per illos causata perpendere: » sic enim non modice incitabimur, ad palpebras velut velamen contra splendorem creaturarum obducendas.

« Peccata sua præ oculis habere: » sic enim ad salubrem erubescenciam commoti, oculos cum publicano elevare vix sustinebimus. De hoc medio sic discurret S. Antonius Paduanus: Nota, quod ex nimio fletu oculus obscuratur, caput conturbatur, facies attenuatur: sic vere penitentis oculus, quia deprædatur animam ejus, obscuratur, ne videat mulierem ad concupiscendum eam, et clauditur, ne mors infret per fenestras ejus. Vel etiam dicere possumus, quod oculi peccatoris lacrymis stagnent ad faciendam penitentiam, et castigandum peccata, quorum incentiva fuerunt. Unde Regius vates inquit: « Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. » Tametsi enim divinæ legis observantia ad cor, non vero ad oculos pertineat, attamen oculos quoddam lacrymarum profundis dicit, eo quod divinam legem non custodierint; quia cum oculi cordis transgressionem causaverint, merito lacrymis manant, ad abstergendum maculas, oculorum occasione a corde legem transgreddente contractas. *S. ANTON.*, *Dom.* 22 *post Trin.*

« Fuga muliebris aspectus » de quo sic S. Chrysostomus locutus est: Job diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo, viribus fidens; virginem autem videns, non stetit, neque meratus est in contuenda pulchritudine, sed statim recessit; censebat nimirum in prælio contra dæmones, virili, et audaci animo opus esse; in continentie autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed recessu. *S. CHRYS.*, *s. de Continent Joseph.* Quod monitum præclare Martius Eremita in montem Massico implevit, qui muliebrum aspectum omnino refugiebat; proacx autem, ac petulans quædam, ut se spectaret, nolentem compellere conata est, sed quod eam procul accedentem videret, in cellam confugiens, ac humi inter palmarum folia strata vultu pro sua castitate Deum precatus, non ante oculos sustulit, quam ista moræ impatiens discessisset. De F. Rugero, et S. Francisci discipulo legitur, quod nullam mulierem in faciem unquam directe aspexerit, adeo ut, ne quidem matrem suam, tametsi et mulier sancta, ætate que matura esset, aspiceret voluerit. Subdit vero historiæ hujus auctor: Mirum valde, tum quia pluries videram eum loquentem cum mulis, et pluries prædicantem eis.

Tum etiam, quia sciebam, eum adeo in illo periculo securum, quod non credo aliquem in mundo ei similem suo tempore fuisse, tum, quia sicut ipse dixerat mihi, stando cum mulieribus castior effliciebatur; adeo enim abominabatur eas, quod nullo modo poterat cum eis diu stare. In duodecim annis, quibus in Ordine steterat, non potui perpendere per confessionem unum motum mentis inordinatum de facto mulierum. Dixi ergo illi: Cum sciat, vos esse in facto mulierum sic securum, unde est, quod tantum timetis eas inspicere? Et ipse respondit: In potestate hominis est, vitare occasionem peccati, et ideo quamdiu facit homo quod in se est, vitando nomen. *DATROLI.*, c. vi, tit. X, n. 2.

« Æternam retributionem ponderare: » de qua sic loquitur Bellovacensis: Movere nos debet æterna retributio, quæ est Dei visio; nam, ut Isaias ait: « Qui claudit oculos suos, ne videat malum, isto in excelsum habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. » S. Job quoque postquam dixisset: « Peperi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, » mox asserti sui subnectit rationes dicens: « Quam enim partem haberet in me Deus? A contrario igitur deduci posse videtur, quod si quis oculos suos bene custodire noverit, magnam sit cum Deo partem habiturus. Et quia visio est tota merces, ex hac oculorum custodia visionem nobis beatificam Incrabitur. Ac proinde S. Job hanc oculorum custodiam velut securi pignoris loco habebat, unde æternam suam poterat sperare salutem, quando dicebat: « Et in carne mea video Deum Salvatorem meum, quem, visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspexerunt sunt. » *BELLOVAC.*, l. III, dist. 5, p. I.

ASCETICA.

« Quinque sunt quæ de hac materia Asceta bene apprehendere, aliisque inculcare debet, « Primum est, ut magnam de hac custodia æstimationem concipiat, certoque sibi persuadeat, eam esse ex potioribus mediis ad perfectionem consequendam; » nemo certe hanc facile assequetur, nisi per internam mentis collectionem, animique solitudinem; quis autem hanc solitudinem speret absque oculorum accurata custodia?

« Alterum est ut solidam, brevemque morit viam ac modum oculorum curiositatem compescendi : » quæ quidem optima ac brevissima merito censetur, ampla et grandis rerum celestium æstimatio, et cum Superis communicatio; ut enim Cœlestes ob perfectissimam Dei, rerumque ad beatitudinem spectantium cognitionem, non dignantur aspicere res terrenas, nullumque illarum desiderium concipiunt; ita quo magis quis ad Beatorem statum cognitione et æstimatione rerum divinarum accesserit, hoc magis ad oculos a rebus terrenis avertebat.

« Tertium est, ut quoniam in hac vita, maxime si quis inter homines vivere cogatur, fieri vix potest, ut non frequenter in oculos incidant, quæ vel ad concupiscentiam illicitam impellant, vel ad displicentiæ, indignationis, aut alios similes motus concitent, studiose se assuefaciat, ex rebus visis mentem ad cœlestia transferre, aut alium quempiam spirituales fructum elicere : » sic enim ex ipso rerum conspectu veneno antidotum faciet, quo facile sese contra omnem rerum visibilium tentationem defendat, atque innoxium servet. Ita sane Deus ipse per Salomonem suavitatis dicens : Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, scient, quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim Generator hæc omnia constituit. *Sup.*, XIII, 3.

« Quartum est, ut competentem de vilitate visionis corporalis æstimationem concipiat : » quam sequentibus verbis Richardus de S. Victore declarat : Visio corporalis est, quando oculos ad exteriora, et visibilia aperimus, et cœlum et terram, figuras et colores rerum visibilium videmus; sed hæc visio infirma, et infirma est quia angusta est, maxima non comprehendit; et quia hebes est, minima non discernit; et quia pigra est, non attingit remota; et quia perspicax est, non penetrat occulta. Quæ nihil denique mysticæ significationis continet, et tantummodo corporei sensus motum et actionem habet. RICHARD. DE S. VICT., l. c. in *Apoc.*, c. 1.

« Quintum est, ut bene apprehendat, majus quandoque periculum viris sanctis ab hujus custodia neglectu imminere : » uti recte Paulus de Palatio advertit dicens : Multi perierunt ex aspectu fornicarum, imo fere quis perit, nisi ex hoc aspectu? Adeo viris piis hoc unicum est paratum pericu-

lum. Aspicit Sol speculum positum, surgit flamma in speculo. Et quidem quantum speculum lucidius est, ac purius, tanto ignis in ipso per reflexum magis inardescit : quod idem sæpenumero contingere solet in quibusdam conscientiis, et animabus ceteroquin puris, in quibus, eo quod nimia cum fiducia objecta temere conspiciant lubrica et lasciva, carnalis concupiscentia ignis subito accenditur. PAULUS DE PALAT., in c. VII *Eccl.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : » MATT., v, 28 possunt in primis explicari scandala seu damna, quæ ab oculo parum caute custodito proveniunt, præcipue vero hæc tria : tentationes et lapsus carnis, inquietudo animi per varios affectus, ex rebus conspectis oriri solitos, et distractio atque impedimentum in oratione, et devotione : quæ proinde damna paulo fusius describantur. Deinde ostendatur, quale remedium sit adhibendum ad hæc scandala avertenda, scilicet eruendum oculum, non quidem corporaliter, ut S. Lucia fecit, dum audiens quemdam oculis suis ad turpem concupiscentiam inflammatum, utrumque eruit et ipsi transmisit; sed spiritualiter, claudendo eosdem, et non nisi ad usus licitos, et necessarios, eosdem dirigendo.

Ex occasione thematis : « Oculus deputatus est animam meam : » THREN., II, 37, ostendi potest, quam crudeles sint prædones oculi. 1. Quia spoliant omnibus divitiis et meritis cœlestibus. 2. Quia spoliant etiam vestibus pretiosissimis, scilicet, gratia, et aliis habitibus supernaturalibus. 3. Quia spoliant ipsa etiam vita spirituali, mortemque æternam inferunt : quæ omnia facile exemplo Sampsonis, Davidis, Ammonis, Holofernis, Salomonis et similium probari possunt. Ostendatur deinde, quomodo hi prædones coerceri, et perpetuo carceri includi, aut certe omnino ad mortem seu mortificationem spiritualem condemnari debeant, id quod per actus aliquos supra § 1 enumeratos doceri potest.

Ex occasione thematis : « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit : » LUC., II, 34, ostendi potest, quomodo

homo quivis simplicitatem in citata sententia a Christo requisitam in gemino oculo observare aut procurare debeat. Et 1. quidem in externo seu corporali oculo per simplicem usum, id est, non dirigendo aut aperiendo illos, nisi ubi necessitas, vel utilitas vel charitas requirit, ad modum Monachi, qui januæ suæ cellæ hæc verba inscripsit, ut meminisset, non aliter januam illam pro egressu esse aperiendam, quam cum una ex tribus illis causis impelleret. 2. Idem etiam in interno oculo rationis ostendi potest, quomodo scilicet ille quoque simplicitate retinere, aut procurare debeat, tum per « fidem » simplicem nihil credendo, nisi omne et solum id, quod suprema veritas manifestavit : per « intentionem » simplicem, solam Dei majorem gloriam et beneplacitum querendo : « per scientiam » simplicem, ea sola per illam scrutanda et addiscendo, quæ vel ad salutem propriam, vel ad proximi ædificationem conducunt; quem in finem afferri et dilatari potest celebris illa S. Bernardi sententia : Sunt, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quæstus est. Et sunt, qui volunt, ut sciatur ipsi, et turpis vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut ardentius adificent, et charitas est et sunt qui scire volunt ut ædificentur et prudentia est. Videri potest de hac materia Faber conc. 2 in festo S. Martini, S. BERN., s. XXXVI super *Cantic.*

Ex occasione thematis : « Si autem nequam (oculus tuus) fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit : » LUC., II, 35, ostendi potest 1. qui sit nequam oculus, nempe is, qui creaturas tantum aspicit, ut vel Deo sum honorem furetur, ipseque oculis humanis placeat : vel ut divitias acquirat, augeatque : vel ut vane ex objectis visis delectetur : vel ut aliorum observans errores et vitia vanam de propria innocentia ac virtute complacentiam capiat. 2. Ostendi potest quomodo per hunc oculum nequam totum corpus (id est, homo) tenebrosus seu vanus, efficiatur, dum hoc ipso Deo, Sanctis, et hominibus justis displicet, et perinde ut objectum luce carens nec æstimatur, nec laudatur. 3. Ostendi potest, quomodo curari possit hic oculus nequam, scilicet tollendo quadruplicem causam hujus obscurioris et nequitie, nempe superbiam, luxuriam, invidiam, faciundiam; quæ proin vel omnes

breviter, vel una alterave fusius explicetur? pro quo scopo videri potest Faber conc. 3 in festo S. Martini.

Ex occasione thematis : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem : » Ps. CXXVIII, 73 ostendi potest, quam vere omnia vana sint, quæ per oculos videntur in hac terra : quem in finem afferri potest exemplum Salomonis de seipso fatentis : Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : et per partes ostendi ex eodem capite, quantas divitias, voluptates et honores sibi coaceravit, videritque, et fruitus sit, et tamen de illis omnibus fassus tandem sit : Et vidi in his omnibus vanitatem et afflictionem, et nihil permanere sub sole. *Eccl.* VII, 10. 2. Ostendi potest, quomodo per aversionem a talibus objectis, et conversionem ad Deum et cœlestia, illa omnia, quæ in creaturis quærebantur, perfectiori longe modo a Deo reperiantur, atque adeo reclusus cum S. Davide dicatur : Ad te, Domine, levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. *Ps.* CXXII, v. 1.

Ex occasione thematis : « Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima : » Cant., v, 12, explicetur, quomodo oculi et potentia visiva usurari debeant, et ad quæ objecta dirigi ac applicari, nimirum ad fluentia purissima, qualia sunt Deus, B. Virgo, et Cœlestia; item objecta ea, quæ animam puriorem faciunt, et ad Deum ac virtutem ardentius amandam, et confectandam conducunt, qualia sunt exempla bona personarum virtute conspicuarum.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Lucifer per oblationem omnium regnorum totius universi ad sui adorationem Christum inducere volens, Christum in montem altissimum exultit, ut inde omnia mundi regna conspiciere posset (ostendit ei omnia regna mundi) ad vero quem illum urgebat necessitas, ut illum super altissimum montem collocaret? Ex quo enim perfectissimam habebat sapientiam dæmon, bene scire poterat, scriptum esse? « Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo. » Respondeo, hæc quidem omnia vera esse, verumtamen probe quoque sciebat, quod oculus incautus voluntatem, quodque cor

facile seducatur ex presenti, et actuali aspectu; hic enim est incantatio chara, propter illicitum, et delinientem voluptatem. Porro modum, quo Lucifer Christo omnia mundi regna ostendit, Jansenius his verbis declarat: Omnium imagines novo quodam modo representavit humanis ejus obtutibus, faciens per eas imagines omnia apparere oculis ejus. *MANSI, dis. XXI.*

Huc spectat verbum illud S. Pauli ad Galatas dicentis: « Quis vos fascinavit? » S. Anselmus legit: Incantavit; Cornelius a Lapide dicit: Fascinari significat perstringere oculos, ut putes te videre, quod revera non vides. Sic igitur dæmon nos incantat, efficiendo, ut nobis una res alia esse videatur. S. Hieronymus inquit: Dicitur fascino proprie infantibus nocere, et ætati parvulæ, et his, qui firmo nec dum vestigio figunt gradum. Eheu! quot sunt quibus dæmon per unius obtutus incantationem timorem Dei aufert, et devotionem, eo quod etiamnum in via spirituali novitii sint, et nondum bene radicati? S. Augustinus violentiam, qua oculus valet ad seducendam mentem, in Confessionibus suis ad vivum his verbis expressit: Resisto seductionibus oculorum meorum, ne impitentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam. Certum quidem est, quod, qui tenso sibi laqueo vult declinare, necessario oculos apertos habere debeat; at vero ubi, et quomodo illos aperiat, caute illi videndum est. Imitandus ei est S. Augustinus, qui eodem in loco dicit: Et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos.

NECESSITAS. — Ingeniosus est illud a Salviano oculis attributum epithetum, quo illi ab eo naturales animi cuniculi appellantur. Cuniculi enim non subito ab igne accenduntur, non evertunt in aera muros, turres, fortalitia recens exstructa, sed tempus et occasionem opportunam expectant, donec ignis sensim, et paulatim serpendo ad massam pulveris pertingat, et impetum faciat. Idipsum quoque multis contingit animabus, quæ veluti fortalitia inexpugnabilia, per virtutum, et meritum suorum soliditatem optime munita erant, quæ tandem susque deque unius dumtaxat obtutus occasione evertuntur. Quis unquam fortior fuit Sampson? quis Davide in sanctitate, et perfectione fuit stabilior? et tamen inimicus sagax opportunum expectavit tempus, in quo se ab exercitu suo in campis existente ab-

sentans, post autem et delicate nutritum corpus, captumque in meridie somnum, ad carnalem voluptatem, magis erat dispositus; tuncque cuniculus conceptum ignem evomit, « viditque mulierem lavantem se », etc. » Cujus objecti species tot annis in mente ejus reservata, et adeo implacabile ei bellum moverunt, ut lamentari coactus fuerit dicendo: « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea; » Etenim hæc plantasmata nobis invitis non infestant, turpesque fovent cogitatus, atque tentationes, atque ad motus obscenos nos exstimulant. *SALV., l. III, de Prov. lib. c. ubi dicitur illud: Quis dicitur a nobis*

B. Petrus Damianus quorundam lapidum hanc esse proprietatem scribit, quod instar lignorum ignem concipiant, et ardeant: ita enim scribit: Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur Pyroboli, qui nimirum, cum a se invicem procul sunt, non accenduntur; si vero femina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur; ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis voracibus exurantur. Hoc idem multo accidere quotidie videmus, qui ut plurimum non accenduntur ad lasciviam, nisi solum ad aspectum objecti illecebrosi, ad hujus enim præsentiam, et obtutum continere se nequeunt, quin sibi mutuo complacent, et seque invicem desiderant, et concupiscant. Qui merito illud Canticozum usurpare debent: « Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt; » vel, ut ex Hebræo legitur: Quia ipsi abstulerunt robur meum, quia ipsi me superaverunt. S. PETRUS DAM., in op. de *Don. relig.*

Ut quis per fenestras domum ingrediatur, necessario scælæ requiruntur, per quas summa cum difficultate et periculo ascenditur. Atque ideo, dum ait: « Mors ascendit per fenestras, » insinuare volebat, adeo prædæ cupidus futuro esse inimicus, ut illius potiundæ desiderio, omnes superaturi sint difficultates. Eodem igitur modo mors peccati, et inimicus infernalis omne separat obstaculum, ut animas nostras deprædandi possit, ideoque omni cum industria se per fenestras insinuat, id est, per oculos. At vero quibusnam utitur scælis, ut per fenestras has ingredi possit? scælæ ejusmodi sunt rerum viciabilium et delectabilium species, quæ tametsi bene considerata scælæ sint, quibus ad Creatorem illarum ascendere possumus,

nihilominus dum per malitiam nostram illis abutimur, in iisdem nobis complacendo, nostrumque affectum in fruitione illarum firmando, scælæ sunt ad deprædandum animam, per quas potissimum est ascensus ad fenestras, id est, oculos: « Oculus meus deprædatus est animam meam, » unicuique enim illicitus oculorum obtutus abunde sufficit, ut anima, quantumvis sancta et perfecta sit, thesauris meritum, donorum, et gratiarum expolietur. *MANSI., dis. iv, n. 2.*

UTILITAS. — Regius Vates, postquam divinam legem summa, qua fieri posset, cum punctualitate adimplere secum stauisset, hæc Deum est verbis precatus: « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam: » Observandum vero est quod ad hunc finem assequendum, nihil aliud a Deo petierit, præterquam exactam oculorum custodiam: nam immediate subjungit: « Averte oculos meos, ne videant vanitatem. » Unde Albertus Magnus ait: Postquam petit gratiam ad proficiendum in bono, hic petit ad caveendum mala oculorum custodiam: et merito, quia nisi aliquando ab oculo misere seductus fuisset, jugiter in vita sua immaculatus mansisset. Nam in lib. III *Regum* de ipso dicitur: « Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. » Hoc autem cum Bethsabea commissum adulterium, indeque seductio Uriæ homicidium, et ex utroque dilecto causatum in populo grave scandalum, ex hoc solum, quod vidit mulierem lavantem se, suam traxerunt originem. Unde merito ait: « Averte oculos meos ne videant vanitates, in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. » Ubi specialiter notandum est verbum illud: « Statue » quod cum verbis illis Sapientis optime consonat. « Omnes viæ tuæ stabilientur quia quando oculi diligenter custodiuntur, Evangelicorum præceptorum observantia firmiter stabilitur, ipsaque innocentia illæa conservatur: » In via tua vivifica me. » *MANSI., disc. v, n. 3.*

Sozomenus de S. Ephrem refert, quod, dum aliquando in civitatem Edesse abiret, intra se meditando dixerit: « Domine, tu

meum hoc iter sic dirige, ut primo urbis ingressu in eum incidam, qui mecum disserat super his, quæ sint jurando et excolendo animo. » Accidit autem, quod, dum porta urbis vicinus esset, cogitans, quisnam illi primum obviaturus esset, coram se viderit mulierem quandam vanam et lasciviam, quam cum vir Dei fixis oculis intuitus fuisset, mulier pariter irretortis oculis eum aspexit. Quod videns S. Ephrem turbari cepit, timens, non forte vota ejus Deus non exaudisset, cumque torvos in mulierem oculos conjecisset, illaque pariter torvis illum oculis intueretur; post breve silentium his ei verbis improperavit: « Non erubescis, prociac, tam fixis oculis me petere? » Cui ipsa protinus respondit: « Non erubesco, licere mihi reor te aspicere, ex te, tuoque lateri sumpta sum, tibi vero convenit, non feminas, sed matrem tuam terram aspicere, de qua sumptus es, et in quam reversurus es. » Quo responso percepto, vir Dei confestim agnovit Dei circa se dispositionem, qua tum ad animæ suæ culturam meliorem, tum ad extimulandum eum ad perfectionem, et sanctitatem, exactam quandam circa oculos cautelam, et circumspeditionem menti ejus imprimere voluit. *SOZOM., l. III, Hist. Eccl.*

Mysteris turgent verba illa in sacris Canticis ad animam amantem, quæ virum spiritualem et perfectum representat, directæ, videlicet: « Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. » At vero dicit aliquis, quò fine ad hujus columbæ oculos abluendos lac adhibetur, dum illa super limpidissimos aquarum fontes hoc fine evolunt consuevit? Pro hujus quæsiti solutione sciendum est, indubitatum esse, quod per hascolumbas animæ summo innocentia et puritatis candore conspicuæ significantur, quibus necesse est, oculos adeo circumspicere custodiant, ut nulla illis objecti alienius lascivi, et lubrici, aut periculosi imago, aut species, imprimi possit. Audiatis velim S. Gregorium Nyssenum lactis proprietatem in hæc verba exponentem: Conveniens lans hujusmodi oculis tribuitur; cum lacte columba talis ablu, venustaque reddi commemoratur. Nam vere hoc in lacte observatum est, solum inter humida proprietatem hanc habere, quod in eo nullius rei simulacrum ac similitudo conspicitur; et enim res omnes, quæ humidæ nature sunt, ad similitudinem speculorum

ob levitatem superficiei faciunt, ut insipientium in eas vicissim ex ipsis imagines reluceant; in solo autem lacte huiusmodi simulacrorum expressio locum non habet. *Mansi., disc. 1, n. 7.*

In opusculis sancti Francisci sequentia leguntur: Multoties Beatus Pater fratres suos hortabatur, ut sensus, omni qua possent, sollicitudine custodirent, et refrænerent, sed præcipue oculos docebat habere pudicos, et honestos, hanc illis proponens sæpius parabolam: Rex quidam pius et castus, duos misit successive nuncios ad Reginam qui ei quadam de regis mente significaret. Revestitur primus, et pro verbis quæ ad Reginam detulit, tantum verba Regi reportat, sed de Regina nihil loquitur, quia oculos sapienter tenebat in capite, nec ullatenus prosilierant in Reginam; redit et secundus sed post pauca verba, quæ pro nunciis responsione refert, longam de Regina pulchritudine texuit historiam. Vere, inquit, Domine, pulcherrima, et speciosissima femina est Regina, felix et beatus reputari potest, qui fruatur illa. Cui turbatus Rex: «Tu, serve nequam, in sponsam meam oculos tuos impudicos coniecisti? Credo, quod tibi emere voluisti rem, quam ita curiose prospexisti.» Iratus jubet ad se alterum revocari, et ait illi: «Quid tibi de Regina videtur? optime, inquit, domine, libenter, et modeste audivit verba Regis, et prudenter respondit. Cui ulterius Rex: «Quid de pulchritudine illius judicas? Nonne speciosa, et pulchra tibi visa est? cæteris estne præstantior mulieribus?» Respondit servus: «Domine, de pulchritudine illius nihil scio; venustane an speciosa sit, tuum solummodo est discernere et judicare; meum autem, tua illi verba proferre.» Bene, et cordate, inquit Rex, respondisti. «Tu, qui oculos habes castos, et verecundos, meus esto cubicularius; ex oculorum pudicitia, corporis concilio castitatem et te dignum, cui cubiculi, et regie camere custodiam committam. Tu vero e regione, qui infrænes et impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis; qui enim serio et subtiliter Reginæ contemplatus es venustatem, timeo, ne illius etiam violare velis honestatem.» Hæc Rex: «Parabolam, fratres, audistis; sensum intellexistis: oculos in aliquam coniecistis? Mulierem vidistis? peniteat? Ab oculis imposterum cavete, mors latet in visu. *Idid., dis. x, n. 6.*

Xenophontis milites cæci oculis fuerunt, quod per multam nivem iter fecerint. Qui igitur nives puritatis intactas, et incontaminatas conservare volunt, cæcorum more se habent, nec oculos, quamdiu inter ejusmodi nives ambulat, aperiunt, ideoque tamquam generosi milites impugnant, et vincunt se ipsos, voluptate oculorum se privando, ne propriam coinquant innocentiam; virtute enim ad hoc opus est, cui proprium est omnem superare difficultatem. *Idid., dis. xii, n. 8.*

Accidit vero illustri, quod adstaret alteri non inferioris dignitatis in templo, cumque ingressa esset adolescentula genere, et forma nobilis, oculos illico in ejus aspectum reflexit, quod cum alteri illi displicuisse animadverteret, ejus severitatem comprimere ausus illo Psalmi versiculo se excusavit: «Delectasti me, Domine, in factura tua.» Sed ille ex tempore, suaviter sane: Perge, ait, et vide, quæ eodem in Psalmo sequuntur, et invenies: «Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.» *Gul. Bal., l. III, Stim. virt.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Christus S. Birgittæ modum gubernandi corporis tradens, inter alia dixit: Datum est homini visum, tamquam bonum speculatorem, qui discernat inter hostes venientes et amicos. Tunc autem, inquit, veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. *Luc., vi, c. 6.*

Si nescis, oculi sunt in amore duces, canebat olim Propertius. *L. I, Eleg. 5.*

S. Bernardus ait, oculos pronubos esse, cuius tactus minister est. *L. de Vera Virg.* Plinius testatur, oculos moriente homine primo interire, et ultimo nasci, ut serius exponatur homo telis diaboli et citius subducatur. *LANCIZ., op. II, n. 291.*

Salvianus oculos appellat naturales quosdam animi caniculos. *Lib. de Prov.*

Inter duodecim meditationes, quibus duodecim Anachoretæ se quotidie exercuisse dixerunt, primus et senior eorum dixit: Ego, Fratres, ex quo cœpi quiescere, totum fixi meipsum, his, quæ sunt, visionibus. Et velut murum faciens inter animum, et corporales actus, dixi in mente mea: Quemad-

modum is, qui intra murum præstantem non videt, sic nec tu velis exteriores actus aspiciere, sed teipsum intueri, sustinens quotidie spem Dei. *Vit. PP., ap. LANCIZ., l. c. n. 301.*

S. Basilus rogatus a Libano Sophista scholæ Magistro quem adierat, ut ad ejus discipulos verba faceret, illos inter alia serio monendos censuit, pudore armari, demissos habere oculos, sursum animum. *AMPHILOG., in ejus Vit.*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam que sunt oculis subjecta fidelibus.
HOR., de Arte poetica.

Oculi membra sunt carnis, sed mentis fenestrate; dicebat S. Augustinus. *Ps. xli.*

NECESSITAS. — Dæmon offert oculis formas illicites, et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. *LANCIZ., op. II, n. 259.*

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire, quid esses,
Illa fuit mentis prima ruina mea!

Canit Ovidius, et utinam non cum illo plurimi canere id possent. *Ep. MEDEÆ ad JASON.*

Ignis tangentes, inquebat Xenophon, propeque astantes urit, pulchri et formosi non item; procul enim astantes inflammant. *STOBEUS, s. LXIV.*

S. Bernardus dicebat, oculos esse occasionem peccati, indicium commisse culpæ, causam committendæ. *De Grad. humil.*

UTILITAS. — Cum aliquando S. Ephrem pauperula cœna occuparetur, mulier proca, accessit ad demissam cellæ fenestram, quæ, dum rogat, numquid ad apparatus desideraret, hoc responsum accepit: Nihil equidem nisi tres lateres, et paululum luti ad hanc fenestram occcludendam. *BEIR., III, in Fest. Mar.*

Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos, et aures ab his, quæ reliquit, avertat, cito rebellat affectus, quocumque se convertit. Ita Seneca. *SEN., ep. LXX.*

AXIOMATA.

Oculi sunt in amore duces.

AUCTORES.

Nicolaus Lanc., opusc. II, c. IV et XIV.
Jacobus Alvarez, t. II, l. II, p. II, c. II.
Jeremias Drex., in *Nœcta*, l. I, c. VII.
Franciscus Arrias, in *Tribus tract. spir.*, tr. III, p. II, c. XV, XVI et XVII.

Joannes Peleceus, de *Offic. relig.*, l. III, c. VIII.

Laurentius Beirlinck, them. 3, in *festo S. Martini*.

Julius Fatius, de *Mortif.*, c. VI, cons. VII.

Josephus Mansi.

Joannes Rho, l. VII, *Var. virt.*, c. IV.

ODIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est, juxta D. Augustinum, vetus ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans. *S. AUG., l. de finit.* Vel juxta S. Thomam, est dissonantia appetitus rationalis ad apprehensum ut disconviens. *S. TH., l. II, q. 29, ar. 1.*

DIVISIO. — Dividitur a Cajetano, et aliis in Odiū *Abominationis* et Odiū *Inimicitia*. Illud est, quo rem aliquam aversamur; hoc pro personam abominamur, illique malum optamus. Unde Azor hæc duo *Odia Rei, et personæ* appellat. *CAJET., l. II, q. 29.*

ACTUS. — Primus est, «animo solo aversari alterum:» de quo actu memoranda est Cassiani sententia dicentis: Illud vero quale est, quod interdum patientes non esse credimus, quasi respondere contemnimus lacesciti, vel gestu, motuque irrisorio fratrem subsannamus. Quasi vero apud Deum verba tantummodo, et non præcipue voluntas vocetur in culpam, et opus solum peccati, et non etiam votum ac propositum habeamus in crimine? Quid enim differt, utrum quis gladio peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipsius eum dolo vel crimine constet extinctum? Et infra: Sæpe autem ficta patientia etiam acris